

humilia te coram tanto principe. Deinde, si ob causam honestam et rationabilem vestiantur aliqui splendidius, placere tamen hominibus non cupiant, sed sibi ipsis displiceant, atque ut monet S. Augustinus, in ep. CXC. ad Ecdiciam in superbo ornatu habeant cor humile. Ita egit s. illa Esther, quæ ut flecteret Assuerum ad justitiam et clementiam erga gentem Hebræorum, ipsum allocutura se adornare debuit regio cultu, interim tamen ad Deum orans dicebat: *Necessitatem meam, quod abominer, signum superbiæ, quod est super caput meum in diebus ostentationis meæ, et detester illud, quasi pannum menstruata*: apud Gorioidem: *Sicut vir odit vestem muliebrem*. At qui vir in veste muliebri non facile superbit. Talis S. Editha virgo, filia Edgardi regis Anglorum, quam cum B. Ethelwoldus episcopus die quodam incedere ornatiori habitu vidisset, ac dixisset: *Non his filia mea indumentis itur ad Christi thalamum*, respondit: *Crede mihi pater, nequaquam deterior mens, Deo aspirante, sub hoc tegmine deget, quam sub pelle caprina, gestabat enim cilicium sub ea veste*, Sur. 16. sept.

Ergo auditores, faciamus ex hac concione flagellum, et ejiciamus e corde nostro Satanam, exemplo Christi, ut ipso nos deferente accedant ad nos angeli ss. et ministrent nobis.

## CONCIO IV.

DEMONEM MALITIA IN VARIIS BESTIIS DEPINGITUR.

Dæmones: I. Sunt serpentes. — II. Sunt scorpiones. — III. Sunt leones. — IV. Sunt pardi. — V. Sunt lupi. — VI. Sunt vulpeculæ. — VII. Sunt apri.

## THEMA.

*Ductus est Jesus in desertum a spiritu, ut tentaretur a diabolo*. Matth. IV.

Quadragesima dierum jejunium, quod confecit Christus, et nos aliquatenus imitando nunc inchoamus, in memoriam nobis refricat, et modo aliquo exprimit iter Hebræorum, quod annis quadragesima confecere per desertum, donec eo emenso ad terram sibi promissam pervenirent. Quemadmodum ergo in illo itinere Hebræi inciderunt in serpentes ignitos, a quibus icti plurimi fuerunt: ita etiam Christo Domino nostro in deserto jejunanti occurrit serpens ille antiquus, insidias ei tendens: neque dubitandum idipsum acitare cum Christi servis, qui suo hoc jejunio sequi Dominum suum volunt. Vides enim nos hac via tendere in terram lacte et melle manantem, adeoque ad sedes illas et cælestes arces,

quæ ipsi paratæ erant, hinc invidiæ stimulo misere agitatus, omnibus quibus potest modis impedire iter et progressus nostros adlaborat, et cum cohorte sua sævarum instar belluarum vias nostras obsidet. Nos ergo ut circumspecte prosequamur iter nostrum, prius hostes illos considerare volumus, quo cautius evitemus ac superemus.

I. Sunt serpentes, ita enim in Scriptura frequentissime vocantur, uti *serpens antiquus*, Apoc. XII. quia ab initio primos nostros parentes per serpentes decepit, et ab eo tempore usque hodie impugnat genus humanum.

Causæ sunt. Prima, secundum S. Cyprianum, tract. III. de præl. simpl. diabolus dictus est serpens; quia cum latenter obrepit, ait, cum per pacis imaginem fallens, occultis accessibus serpit (unde nomen serpentis accepit) ea est ejus astutia, ea circumveniendi homines cæca et latebrosa fallacia, ut asserere videatur noctem pro die, venenum pro salute, desperationem sub obtentu spei, perfidiam sub prætextu fidei; antichristum sub vocabulo Christi, ut dum verisimilia mentitur, veritatem subtilitate frustretur. Sic in hodierno evangelio Christum quasi esurientem pane tentavit, velut necessaria refectione ei, qui jejunio vires suas plane fregisset, ne sibi ipsi necem inferret, vel certe ad alia Dei obsequia inutilem redderet, etc. Pari astu conatur homines retrahere a jejunio: mulieres prætextu sexus infirmi, juvenes ratione incrementi, senes ob virium debilitatem, viros ob labores vel itinera, ad carniæ esum invitat, etc. Ita Sancto Francisco oranti occinebat: *Francisce, Francisce, Francisce, nullus est in mundo peccator cui, si conversus fuerit, non indulgeat Deus. Sed quicumque penitentia dura se necaverit, misericordiam non inveniet et in æternum*, sed vir sanctus astum ejus cognoscens, orare perrexit ferventius. Ut in ejus vita.

Secunda, quia serpentes insidiantur dormientibus, halituque eorum calido allecti in os quandoque ingrediuntur. Non aliter dæmones invadunt otiosos et somnolentos. Unde ad vigilantiam excitamur per quadragesimam. Facile etiam ingrediuntur eos, quos calere aliqua concupiscentia advertunt.

Tertia, quia uti serpentes fere in spinis, ita dæmones in divitiarum cupiditate, et voluptatibus habitant. Audiatur S. Chrysostomus, hom. VIII. in epist. ad Roman. *Veluti serpens, inquit, spinis occultatur, intra divitiarum imposturam assidue latitans, qui si spinas inciderit, facile aufugiet, timidus redditus*. Hinc etiam uti serpentes timent hominem nudum, et insiliunt in vestitum, et

sputo hominis jejuni enecantur velut veneno, teste Pierio, l. XIV. Bercorio, in reductorio, l. X. cap. LXXXIX. ita dæmones meruerunt contemptorem rerum temporalium, insiliunt in amatorem, juxta id apost. I. Timoth. VI. *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et laqueum diaboli*. Hinc ut arbitrator Jobum opulentum invasit et affixit, nudatum vero et inopem non est ausus aggredi, nisi ut quidam volunt, per uxorem. *Quidam renuntiaverat sæculo*, ait S. Anton. in hist. parte, tit. XV. capit. III. sed non perfecte, quia quædam adhuc sibi retinebat. Venienti ergo ad Antonium (abbatem) pro instructione suæ salutis, dixit ei Antonius: *Vade et eme carnes et cum eis ad me revertaris*. Quod cum fecisset, et eas secum portaret, canes in via eum infestabant multum, et lacerabant propter illam. Et cum venisset ad Antonium, declaravit molestiam, quam passus fuerat a canibus in via propter carnes. Tunc Antonius ait: *Sic qui sæculo renuntiant et retinent sibi pecunias, impugnantur a dæmonibus et discerpuntur*. Viderint etiam illi, qui nunc carnes devorant, quos comites secum trahant. Dæmonum etiam vires eliduntur per jejunium, quam ob causam Christus ad doctrinam nostram armavit se jejunio contra doctrinam. Si accedat etiam sputum, hoc est, contemptus cæcædæmonum magis adhuc fugabuntur, non ferentes confusionem.

II. Sunt scorpiones, teste Domino, Luc. X. *Eecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes et scorpiones*, hoc est, dæmones, ut censet S. Athanasius, in p. XXVIII. Theophyl. Beda.

Ratio est primo, quia ut scorpiones spiculum suum semper exerunt, velut gladium evaginatum et strictum gerunt ubique ad nocendum parati, teste Plinio, lib. XI. cap. XXXV. ita dæmones hominibus nunquam non insidias strunt, et nocere machinantur: nam etiam dormientibus nobis ipsi nunquam dormiunt, sed ubivis et quodcumque nocendi occasionem captant. Hinc Apoc. XII. draco visus a Joanne, stabat ante mulierem, Ecclesiam, ore utique hiante, singulis momentis expectans ejus partum, ut devoraret.

Secundo, serpens ferit obliquo ictu et flexu, ut ait Plinius, incedit quoque obliquo gressu, ut feriat ex improvise. Idem agunt dæmones: prætentunt quandoque rem bonam et piam periculo tamen expositam, et sub ejus prætextu inducunt ad lapsum. Sic ille, qui suasit eremicolæ egredi e cella ad vicinum monasterium, pro sacra communione, ubi detentum in prandio, et regressum induxit ad revisendam patriam, et adeundam (fictam solum) hæreditatem: sicque

eum sæculo affixit, et in fornicatione impulit. Ut Rosweidus, in vitis pp. lib. V. libello VII. refert. Simile est quod recenset S. Bernardus, ser. LXIV. in Cant. de monacho, qui abiit e monasterio parentes conversurus, sed ipsos non convertit, et seipsum perdidit.

Tertio, cum alias corporis partes pungat, volem tamen manus lædere non potest, teste Plinio; quod etiam se experientia comperisse scribit Bercorius, l. II. reduct. c. XXV. *Vola manus percutere, et alapas dare solemus*. Eos igitur, qui dæmonem feriunt, eique animose resistunt, non facile vulnerabit. Unde S. Jacobus, cap. IV. ait: *Resistite diabolo, et fugiet a vobis*. Est enim instar femine procacis, quæ viro timido impotenter dominatur, audacem vero timet, eique silens se submittit. Hinc S. Gregorius, l. III. moral. c. XVII. ait eum esse myrmicoleonem (de quo Job, cap. IV. ¶ XI. secundum Septuaginta dicitur: *Myrmicoleon perit, hoc est, formicaleo*) esse eum formicam audacibus, qui se ipsi opponunt: leonem vero timidus. Formica fuit Christo in hodierno evangelio, dum uno verbo *vade* fugatus est: et S. Antonio, qui eum ad certamen provocans: « Si habes potestatem, inquit, a Deo in me, exere, ecce ego: si non habes, quid frustra conaris? » Unde S. Greg. l. V. mor. c. XVII. ait: « Antiquus hostis sicut contra consentientes fortis est: ita contra resistentes debilis. Si enim ejus suggestionibus assensus præbetur, quasi leo tolerari nequaquam potest; si autem resistitur, quasi formica atteritur. »

III. Sunt leones, teste S. Petro, I. Pet. V. *Sobrii estote, ait, et vigilate, quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit quærens quem devoret, cui resistite fortes in fide*.

Ratio est primo, quia uti leo grandia et fortia animalia aggreditur, parva et vilia aspernatur; nec comedit nisi quod vivum reperit, teste Eliano, l. II. c. III. sic etiam diaboli *cibus electus* (ut dicitur Hab. c. I.) sunt meliores et sanctiores, quos aggreditur fortius multo, quam alios, qui communi dumtaxat mandatorum via incedunt, adeoque parvæ perfectionis sunt. Hinc teste Cassiano, collat. XXI. c. XXVIII. tempore quadragesimæ, cum fidele<sup>s</sup> carnem macerant et pietati se addicunt, magis eos tentat, quam aliis temporibus. Tunc enim potissimum irritatur et vulneratur, adeoque vindictam quærit.

Secundo, leo cum infirmatur, simias quærit et devorat, eorumque sanguine sibi medetur. Ita etiam dæmon cum pietate fidelium sauciatur ac frangitur, tum quærit sibi simias, h. e. hypocritas, stimulando pios ut opera virtutum faciant ad applausum et vanam gloriam: vel impios,



ut simulent et imitentur opera pietatis: quo modo simiæ non absimiles hominibus imitantur hominum acta, cum tamen nec homines sint, nec vera opera humana edant. Sic medetur suæ ingluviæ dæmon.

Tertio: « Leones rotarum orbis circumacti, currusque inanes et gallinaceorum cristæ cantusque etiam magis terrent, sed maxime ignes, » ait Plinius, lib. VI. c. XVI. Hunc in modum: « Mihi credite, aiebat S. Antonius, pertimescit Satanas piorum vigilias, orationes, jejunia, voluntariam paupertatem, misericordiam et humilitatem, maxime vero ardentem amorem in Christum Dominum, cujus unico sanctissimæ crucis signo debilitatus aufugit. » Quid in specie vilis cruce? Quid invocato nomine Jesu? Hoc tamen quasi galli cantu fugatur. Quod rosarii globulis oratione roratis? His tamen terretur.

IV. Sunt pardi, de quibus Jer. II. dicitur: *Percussit eos leo de silva, lupus ad vesperam vastavit eos, pardus vigilans super civitates eorum.* Ad litteram quidem Chaldæi Judæos punituri per has sævas bestias: tropologice vero dæmones intelliguntur.

Primo, pardus fera sæva ut leo, pellem habens respersam maculis, frondibus se occultat, et odorem gratum emittit, quo dorcades, capreas, aliasque bestias ad se allicit, arripit, læcerat, teste Plin. lib. VIII. c. XVI. Ælian. lib. V. cap. IV. dæmonem ergo significat, qui objectis odoriferis carnis deliciis, fucata pulchritudine, illecebrarum varietate incautos decipit. Alios trahit ad frangendum jejunium, proponendo eis cibos vetitos, sed valde optatos, sapidos, raros, varia coactione pios et odoriferos, quo modo traxit illum Esau coactione rufa ad devorandum suum patrimonium, Gen. XXVII. S. Antonio in eremo objecit discum argenteum: alia vice magnam auri massam.

Secundo, pardalis ubi novit simiarum copiam esse, sternit se supinam sub ramis ac porrectis cruribus mortuam se fingit. Ea visa ex arboribus simiæ descendunt, et veluti hosti suo enecto varie illudunt, circum saltando, postremo pedibus calcando, donec delassentur; tum repente exurgit, quasi reviviscens, et fessas corripit, laniat, dearetuat. Refert collector adagiorum cent. IV. adag. LXVI. quod tamen immerito fabulosum putas. Simili dolo dæmones quandoque se superatos ac plane mortuos fingunt, cum hominem impugnare desinunt; ut ita jam securum et incautum obruant ac prosternant. Scimus Amnonem a fratre Absalone invasum et occisum, quando velut amicissimus ad convivium ab eo vocatus fuerat, II. Reg. XIV. similiter Simeonem a Ptolomæo, I. Machabæorum XVI. Suspectas

igitur habeat vir pius has inducias cum dæmone, et se ad acrius certamen paret. Sic David Sauli sibi reconciliato et amicitiam juranti, nequaquam fisis est; sed recepit se ad tutiora loca, sciens inconstans et versatile ingenium Saulis, ejusque hostilem animum non immutandum, I. Reg. XXIV. ut enim Hannibal Carthaginiensium dux oede pulverem excitans dixit: *Nunquam fore pacem Carthaginiensibus cum Romanis, donec alterutri in pulverem redigantur*: sic neque Christianis erit cum dæmonibus.

Tertio: « Vidi ego, jam ait S. Basilius, hom. in aliquot Scrip. loca, partim audivi, res certa est, inter animalia hominibus inimicissima pardalim quandoque in stadiis hominis oculos præira invadentem. Qui feræ deludere furorem querunt, hominis imaginem ei ex charta ostendunt. Illa statim furibunda concerpit atque dilacerat, hoc argumento satis ostendens, quanta sit ejus adversus hominem inimicitia. Sic item diabolus in Dei imagine, quo sit erga Deum odio, ostendit, quando Deum ipsum attingere nequit. » Sic Basil. Satis hoc ostendit, dæmon, Matth. VIII. quando ejiciendus ex homine, petit intrare in porcicos. Sed cur in porcicos spiritus natura sua nobilissimus? Utique hominum odio; ut si homini nocere in persona non posset, saltem in bonis ejus: vel etiam in animali ei non absimili (aiunt enim periti suem esse animal homini simillimum in structura corporis) quasi in imagine noceret. Nos ergo tanto cautiore simus, quanto ille nobis est infensior. Objiciamus ei in confessione veterem hominem exutum, ut in illum sæviat, nos salvi evadamus.

V. Sunt lupi rapaces, seu *vespertini*, ut supra audivimus, hoc est, noctu maxima fame et rabie grassantes. Ratio est primo, quia uti lupi, cum infantem rapuerunt, prius eum eo ludunt, postea eum laniant ac devorant, ut ex Isidoro Bercorius, I. X. reduct. c. LXIII. ita dæmon servos suos primo quidem exhilarat, et cum eis ludit objiciendo eis vanas delectationes in hoc seculo, sed ad extremum eos accusat, absorbet et affligit: cum e contra Christus suos prius labore et tristitia exerceat, postea gaudiis perfundat.

Secundo: *Lupus*, ait S. Ambrosius, VII. hexam. c. IV. *si prius hominem viderit, vocem eripit et despiciit eum tanquam victor vocis ablatæ. Idem si se prævisum senserit, deponit ferociam, non potest carere.* Sic etiam diabolus, si cujus animum præoccupat in confessione, injiciendo ei pudorem, ille in confessione mutescet: at si quis ipsum præveniens firmiter statuatur apud se, superare pudorem illum, tunc ipse vires perdet.

Tertio, non prædatur in vicinia, ubi nutrit ca-

fulos suos, ut ex physiologo Bercorius, loco cit. Ita etiam dæmon non insidiatur iis, quos quasi vicinos suos jam sibi addictos et damnationi propinquos novit, infidelibus, hæreticis, magis, sagis et inveteratis peccatoribus: quia tum quasi captos retinet. Simili modo Holofernes Judithæ, quæ sua sponte in ejus castra transierat, nequaquam se hostilem, sed blandum ac benevolum exhibuit, addens causam: *Quoniam ego, inquit, nunquam nocui viro, qui voluit servire Nabuchodonosori regi, Judith.* XI. Illis tantum Hebræis malum se machinari ostendit, qui rebelles ipsi essent.

VI. Sunt astutæ vulpes, juxta id Ps. LXII. *Partes vulpium erunt, hoc est, dæmonum, ut exponit Origenes, hom. ult. in Cant. illud II. Capite nobis vulpes parvulas.* Primo, vulpes: *In Ponto sic otides venatur, ut et sese avertens et caput in terram abiciens, tamquam avis collum, sic caudam extendat: eæ autem hæc insidiarum instructione seductæ, ad illam tanquam ad suam gregalem accedunt, illa vero se vertens nullo negotio capiat.* Ita Ælianus, I. V. de animal. c. XXIV. Pari modo dæmonem simulat se amicum et transformat in angelum lucis, ut capiat incautos. Sic apparuit specie angeli Simeoni Stylitæ, dicens: *Misit me Dominus angelum suum cum curru igneo et equis igneis, ut rapiam te quomodo rapui Eliam, etc.* Simeon pedem unum jam elevans, ut ascenderet currum, crucem, dum efformat, currum et aurigam evanuisse vidit, ut in ejus vita Antonius ejus discipulus. Probabile etiam est, dæmonem in hodierno evangelio assumpsisse habitum unius eremicolæ in eodem deserto habitantis, ut Christum deciperet.

Secundo: « *Vulpes cum vesparium refertum esse animadverterit, retrorsum eo accedit: atque tota a vespero aversa ab aculeorum sane vulneribus declinans, in cellas vesparias immissa hirsuta cauda eademque bene prolixa, vespas concutit. Cum autem vesparum circumvestitam spissis pilis caudam impetentium referta est, tum eam ipsa vel ad arborem, vel ad parietem ad maceriemve allidit. Itaque multa caudæ attritione his extinctis, in reliquas evadit, proindeque eas, ut primas interimit. Tandem sic omnibus deletis omnia sibi tuta experiens, nullo jam murmure turbanda nullos jam metuens aculeos, os in vesparium favum immittens vorat.* » Sic Ælianus, I. IV. de anim. cap. XXXIX. Quid magis exprimeret stygiam vulpem? Vult ipse nobis auferre favum pietatis et cælestis suavitatis: at nos ipsum ferimus aculeo crucis, oratione, flagellis, ciliciis, etc. Quid ad hæc ille? Cauda vulpina dum nobis occidit *Euge*, et quasi jam

sanctos prædicat in cogitatione nostra, hoc ipso per vanam gloriam allidit et occidit, dum nobis ipsi placemus, vel nostras laudes acceptamus; sic dum vulpinæ caudæ adhæremus, favum perdimus, et meritum, unaque sæpe vitam animæ.

Tertio: « *Vulpes insidias hoc pacto in herinaceos terrenos molitus, ut cum eos rectos, quod a morsu vulpium impetum spinis prohibent, expugnare non queat, ipsos summa cautione oris leniter et caute primum evertens supinos constituat; deinde et laniet, et qui antea essent formidabiles, exedat conficiatque,* » ait idem Ælianus, I. VI. hist. anim. c. XXIV. Simili modo dæmon, quos una ex parte bene constituit, et ut in parte debiliore, qua non satis armati sunt, invadit, v. g. in humilitate aut patientia eos, qui jam maximos in studiis aut virtutibus fecerunt progressus. Sic hostes muros, qua patre infirmiores sunt, aggreditur.

VII. Sunt apri, juxta id Ps. LXXIX. *Exterminavit eam (vineam) aper de silva, per quam intelligit dæmonem S. Chrysostomus, hom. VI. in ep. ad Philip. Porro apri nocent valde pratis, radices eruendo, sicque terræ virorem evertendo, teste Plinio, I. X. c. LXXIII et patet experientia, dæmones etiam radici virtutum quæ est humilitas præcipue insidiantur, ea enim eradicata, nullæ virtutum herbæ pullulare possunt.*

Secundo, aper contra venatores sibi insidiantes armat se et acuit dentes, teste Plinio, I. VIII. Sic hostis noster diabolus: *Quanto magis nos sibi rebellari conspiciit, tanto amplius expugnare contendit,* ait S. Gregorius, I. XXIV. mor. cap. XII.

Tertio, aporum dentes et gladios ut sic dicam, evitant venatores, prosternendo se in terram. Sic dæmonum tentationes per humilitatem, qua Deo nos prosternimus, facile vincuntur.

Quando igitur videmus iter nostrum tam sævis tamque dolosis belluis obsessum esse, quam caute et circumspecto inter eas ambulandum, quam fortiter pugnandum sit, satis inde constat. Certe Moyses noluit cum populo suo pergere per desertum, nisi ipse Deus eos præcederet; id quod tam instanter postulet, Exod. XXXIII. *Si non tu ipse præcedas, ne educas nos de loco isto.* Et nos igitur in omnibus actionibus nostris Dei directionem petere oportet. *Et ideo Deus meus ad te clamamus, orat S. Augustinus, cap. XVI. soliloqu. libera nos ab adversario nostro.*



## CONCIO V.

URNA FORTUNE, PER QUADRAGESIMAM PROPOSITA  
A DIABOLO.

I. Lactucam extrahunt delicati et timidi. — II. Ova, quæ etiam esurialibus cibis intemperantius vescuntur. — III. Muscas, qui inconstanter jejulant. — IV. Glires, qui somnolentiæ se dant. — V. Ursos, qui cum murmure et impatientia jejulant. — VI. Camelos, quia juxta placitum suum jejulare volunt. — VII. Aurum, qui per hos dies lucra quærunt.

## THEMA.

Ostendit ei omnia regna mundi, et gloriam eorum.  
Matth. IV.

De monstruoso et stultissimo illo imp. Heliogabalo refert Alexander ab Alex. l. V. c. XXI. eum aliquando convivales sortes post cœnam convivis suis proposuisse, sub spe magnorum munerum; qua tamen delusi, alius extrahebat decem camelos, alius muscas, alius auri libras, alius decem ova, alius ursos, alius glires, alius decem lactucas. Non dissimilis huic scurrili Cæsari est princeps tenebrarum harum, diabolus, qui mundi sectatoribus hoc potissimum tempore quadragesimæ mirabilem proponit, et quasi sortilegam urnam, seu nundinas diabolicas, quibus lactat homines, ut hoc sacrum tempus eludant et inane reddant, proponit etiam varias artes et modos violandi quadragesimam, interim suis nugis circumvenit, ut jejunii et aliorum piorum operum fructu spoliaret. Et hic est ille ludio, qui in hodierno evangelio duxit Christum Dominum in præaltum montem, et ostendit ei omnia regna mundi et gloriam eorum. Et vero invenit non paucos, qui in hanc pestilentem urnam immittunt manum suam, et miras vanitates extrahunt, non absimiles illis, quas proposuit Heliogabalus. Nos ergo, ne ab hoc impostore decipiamur, contemplabimur paulisper ea, quæ proponit bona, et eos qui arripiunt ut nobis caveamus.

I. Sunt qui lactucam extrahunt, suntque delicati ac timidi, qui nihil omnino sustinere volunt; timentes ne mox infirmentur, si incipiant jejulare, aliaque pœnitentiæ opera facere. Lactuca tenera admodum et delicata est, sic appellata a lacte; unde timidos et pusillanimes vulgus Germ. appellat *lactucas*. Similes civibus Suedigradensibus in Epiro, qui ab Amurathe Turca obsessi, cum ob dejectum in puteum canem bibere inde nollent ex antiqua Græcorum persuasionem, quæ jubebat morticina non tangenda, alium vero potum non haberent, tradiderunt se et civitatem munitissimam hosti crudelissimo, teste Barletio, in actis Scandeburgi. Hunc enim

in modum delicati aliqui a piscibus aliisque esurialibus cibis abhorrent per quadragesimam, quod sibi eos noxios et mortiferos esse fingant, sicque dæmoni truculentissimo hosti, ostium aperiunt ad capiendas eorum animas. Audiant hi S. Athanasium, in l. de virginitate servanda: « Si accedant aliqui, (inquit,) et dicant tibi: Ne frequenter jejunes, ne imbecillior fias; nec illis credas, nec auscultes; istos enim diabolus subornavit. » Experientia sæpe ostendit tales, qui metu infirmitatis vescuntur carnibus in jejunio, æque aut magis infirmati, quam si abstineant: sola quædam persuasio eos qui jejunium experti non sunt dejicit et dementat. In Sicilia lapidicinis vastissimis homines habitabant, quorum filii inibi educati nullos unquam equos videbant. Quare si quando in civitatem Syracusas venissent, et vidissent equos curru junctos, adeo perterrebantur, ut cum clamore vociferationeque aufugerent, teste Eliano, l. XII. var. hist. XLIV. Pari modo aliqui nobiles delicati, quia ab ætate tenera nullis assueverunt jejuniis, adeo vel eorum solo nomine terrentur, ut primo quadragesimæ conspectu perterriti refugiant, et ad medicos ac parochos pro dispensatione current, o pueri!

II. Alii ova, qui cibis etiam esurialibus intemperantius vel nimia cupiditate vescuntur. Legimus et ova mortem attulisse hominibus. Apulum Saufeium refert Plin. l. VII. c. LIII. dum ovum sorberet intercluso spiritu, a morte occupatum. Alius mendicans cum in festo paschatis collecta a se ova ad saturitatem edisset adstricto ventre, ut neque clysteribus neque medicamentis cederet, interiit, teste Brasavolo, apud Aldrov. l. XIV. ornith. c. I. possunt etiam secundum animam cibi esuriales hominem necare. Vulgo dicimus, novem dedecora seu errores incurri posse in ovi comestione: pari ratione et in quadragesimalibus cibis novem errores committi possunt. Primus, si nimio desiderii æstu sumantur. Unde S. Greg. l. III. mor. c. XXV. ait: « Antiquus hostis, quia non cibum, sed cibi concupiscentiam esse causam damnationis intelligit, et primum sibi hominem non carne, sed poma subdidit: et secundum non carne, sed pane tentavit, hinc est, quod plerumque culpa committitur, etiam cum abjecta et vilia sumuntur. » Scimus Esau sua primogenita vendidisse pro vili lentis edulio, quia nimirum ejus incredibili cupiditate trahebatur, Gen. XXV. Secundus, si intemperantius sumantur: qua de causa videntur puniti fuisse plaga ignis Hebræi, qui concessis sibi coturnicum carnibus gulose nimis se ingurgitarunt, Num. XI. Tertius, si nimis tempestive, ante consuetum scilicet

tempus; hoc enim est contra antiquam et receptam Ecclesiæ consuetudinem, quæ vim legis obtinet. Quartus, si quis in die sæpius quam semel refectionem sumat: hoc namque jejunii rationem tollit. Quintus, si vespere in parva refectiuuncula excedat se satiando. Sextus, si refectio meridiana nimis diu producat et continetur, v. g. usque ad tempus cœnulæ. Septimus, si nimis lautitiæ quærantur, de quibus S. August. ser. CLVII. de tempore ait: « Sunt quidem observatores quadragesimæ deliciosi potius quam religiosi, exquirentes novas vanitates magis, quam veteres concupiscentias castigantes: qui pretiosis copiosisque apparatus fructuum diversorum quorumlibet varietates et sapes superare contendunt. » Sic ille verissime. Octavus, si cibi abstinentia vini in ingurgitatione compensetur. Nonus, si in ipso jejunio modus et discretio non servetur, sed valetudo lædatur, quod tamen in paucis timendum.

III. Alii muscas, qui postquam ad tempus jejunarunt, postea in medio ac fine deficiunt, et tædio affecti impatientes fiunt. Muscæ inconstantem volatum habent, quia cauda carent, ut ratiocinatur Aldrov. l. de exsang. anim. Similes ergo sunt illis, qui bene quidem incipiunt jejuniæ aliaque pœnitentiæ opera, sed ad finem opus corrumpunt, cessatione vel impatientia. Qua de re intelligere possumus, quod ait Ecclesiast. c. X. *Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti*. Suave unguentum est jejunium, animabus corporibusque curandis ab Ecclesia salubriter institutum. Quo facit id quod Dominus Matth. VI. ait: *Cum jejunas, unge caput tuum*, h. e. hilarem te ostende: conservat enim spiritum a multis peccatis, quin etiam ipsum corpus. Hoc vero vitatur a muscis incidentibus ac cum morte inibulciantibus, quando incipimus in jejunii tolerantia deficere, idque impatienter ferre, quasi moriendum nobis sit. Sic perditur unguentum nostri jejunii alioqui pretiosum, ut nauseam Deo creet. Contigit simile quid Hebræis in deserto, quibus manna initio valde sapiebat; verum post annos aliquot nausea fuit, adeo ut clamarent, Nu. XXI. *Anima nostra jam nauseat super cibo isto levissima*. Obtinuerunt ergo carnes sed in perniciem et interitum suum, ut ibi refertur. Audiamus hac de re S. Chrys. in illa verba: Vidi Dominum, hom. III. « Initio quidem non egemus multa exhortatione. Cur ita tandem? Eo quod quilibet homo, etiamsi fuerit omnium pigerrimus, aggressurus negotium, plurimam in principio adhibet diligentiam, dumque animi vigent, alacritas et vires integræ

sunt ac recentes, facile ad id, quod propositum est, pertingit: cæterum ubi major pars viæ peracta est nobis, jamque alacritatis vigor evanuit, viresque nostræ defecerunt, nec aliud superest, quam decidamus: tunc nobis in tempore adest propheta veluti pro baculo quopiam alloquium suum nobis porrigens ac dicens: In fine ne corrumpas. Tunc enim diabolus spirat vehementius. Et quemadmodum piratæ, qui mare navigiis infestant, non tum, ubi conspexerint naves e portu exeatantes invadunt, (quid enim hinc fructus caperent, si scapham inanem demergerent?) sed ubi redierint onustæ plenæque sarcinis, tum demum omnes expediunt artes: ita sceleratus ille demon simulat et videt aliquos multa collegisse, videlicet jejunia, preces, elemosynam, castitatem, etc. tunc irrumpit undique thesaurum perfodiens ut in ipsis portus ostiis scapham demergat, etc. »

IV. Glires alii, qui nimirum somno et somnolentiæ hoc tempore manciantur. Notum est de gliribus quod per hiemem totam dormiant, et in vere primum evigilent. Hos imitantur primo, qui sacro quadragesimæ tempore, quod corpori per abstinentiam detrahunt, compensant per somnolentiam: non advertentes, quod Ecclesia per quadragesimam singulis diebus initio matutinæ horæ ad vigilantiam nos hortetur: *Non sit vobis vanum manere surgere ante lucem, quia promissit Dominus coronam vigilantibus*. Ratio est, quia in somno plus homini insidiatur et nocere potest dæmon, sæpius ex parte sensibus præsertim si ex pigritia prolongetur et hoc sacro tempore, teste S. Leone, serm. II. de quadrag. « Semper tibi, o anima christiana, inquit, vigilandum contra salutis tuæ adversarium fuit, sed modo tibi major cautio et sollicitior assumenda prudentia est, quando idem hostis tuus acriori sævit invidia. »

Secundo, qui hoc sacro tempore dormiunt in peccatis, nondum expiata conscientia, adeoque privant se merito jejunii, aliorumque bonorum operum, quæ per quadragesimam faciunt. Nisi enim in statu gratiæ sint, mereri nihil possunt. Suadeo igitur ipsis, ut initio mox quadragesimæ per confessionem se Deo reconcilient: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis*, canit eis Ecclesia. Videant ne contingat eis sicut gliribus montanis in Vallesia, qui dum hieme sub nivibus dormiunt in cavernis suis a rusticis, qui prius eorum cubilia observarunt, eximuntur, et dormientes adhuc in forum vendendi gestantur, nec prius evigilant, quam venditi ad culinam cultrum jugulo suo appositum sentiant, (ut alibi retuli.) Hoc enim sæpe